



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XX. Julii. In Festo Sancti Hieronymi Æmiliani
Confessoris**

Paderbornae, 1770

In II. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62828](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62828)

Die xx. Julii.

IN FESTO

SANCTI HIERONYMI ÆMILIANI
CONFESSORIS,
DUPLEX.

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis,
præter ea, quæ sequuntur.*

In Hym. Iste Confessor, mutatur tertius versus.

O R A T I O.

Deus, Misericordiarum Pater, per me-
rita, & intercessionem BEATI HIE-
RONYMI, quem Orphanis adjuto-
rem, & patrem esse voluisti: concede, ut
spiritum adoptionis, quo filii tui nomina-
mur, & sumus fideliter custodiamus. Per
Dominum &c.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectio de Script. occurrit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

HIERNONYMUS è gente Patricia Æmiliana
Venetiis ortus, à primâ adolescentia
militiae addictus, difficillimis Reipublicæ
temporibus Castro novo ad Quarum in
Montibus Tarvisinis præficitur. Arce ab
hostibus captâ, ipse in teterimum carce-
rem detruditur: manibus, ac pedibus vin-
ctus; cui omni humanâ ope destituto Bea-
tissi-

tissima Virgo ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, & per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem dicit. Urbem ingressus, ad Deiparæ aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias caput pietatis studia impensiùs colere, in pauperes mirè effusus, sed puerorum præsertim misertus, qui parentibus orbati, egeni, & sordidi per Urbem vagabantur, quos in ædes à se conductas recepit de suo alienos, & Christianis moribus imbuendos.

Rx. Honestum fecit &c.

Lectio V.

Per eos dies venetias appulerant Beatus Cajetanus, & Petrus Carafa, postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphano probato, illum in Incurabilem Hospitale adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque ægrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiae primū, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanotrophia erexit, Bergomi præsertim, ubi præter duo, pro pueris unum, & pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus

bus exemplo, Mulieribus à turpi vita ad
penitentiam conversis, aperuit. Soma-
ſchæ demum subsistens, in humili pago
agri Bergomensis ad Venetæ ditionis fines,
ſibi, ac ſuis ibi ſedem constituit, formam-
que induxit Congregationis, cui propter-
eà à Somascha nomen factum, quām sub-
inde auctam, & propagatam, nedum Or-
phanorum regimini, & Ecclesiarum cul-
tui, ſed ad Majorem Christianæ Reipubli-
cæ utilitateim Adolescentium in litteris, &
bonis moribus institutioni, in Collegiis,
Academiis, Seminariis addiectam Sanctus
Pius Quintus inter Religiosos Ordines ad-
ſcripsit, cæterique Pontifices privilegiis
ornarunt.

R. Amavit eum &c.

Lectio VI.

Orphanis colligendis intentus Mediola-
num proficiscitur, atque Ticinum, &
utrobius collectis agminibus puerorum
tectum, vietum, vestem, Magistros,
Nobilibus Viris faventibus, providè con-
ſtituit. Inde Somascham redux, omni-
bus omnia factus à nullo abhorrebat opere,
quod in proximi bonum cedere pervide-
ret. Agricolis immixtus per agros sparsis,
dum ſe illis adjutorem in metendis frugi-
bus præbet, mysteria fidei explicabat,
pue-

puerorum capita porrigine fæda abster-
gens, & patienter tractans curabat, putri-
dis rusticorum vulneribus medebatur eo
successu, ut gratiâ curationum donatus
censeretur. In monte, qui Somaschæ im-
minet, repertâ specu in illam se abdidit,
ubi se flagellis cædens, dies integros jeju-
nus transigens, oratione in plurimam no-
tæm protractâ, super nudo saxo brevem
somnum carpens, sui, aliorumque noxa-
rum pœnas luebat. In hujus specûs inte-
riori recessu ex arido silice extillat aqua
precibus Servi Dei, ut constans traditio
est, impetrata, quæ usque in hodiernam
diem jugiter manans, & in varias regiones
delata ægrit sanitatem plerumque concili-
at. Tandem ex contagione, quæ per
omnem vallem serpebat, dum ægrotanti-
bus infervit, & vitâ functos propriis hu-
meris ad sepulturam defert, contracto
morbo, annos natus sex & quinquaginta,
quam paulo ante prædixerat, pretiosam
mortem obiit anno millesimo quingentesi-
mo trigesimo septimo; quem pluribus in
vita, & post mortem miraculis illustrem
Benedictus Decimus quartus Beatorum,
Clemens verò Decimus tertius Sanctorum
fastis solemniter adscripsit.

Re. Iste homo &c.

IN